

LECTIO CURSORIA CAN. 129 CIC

SUMMARIUM: I. Contentum can. 129: 1. In Ecclesia habetur potestas regiminis: principium theologico-iuridicum ex theologia dogmatica. Est potestas, socialis, ad fines específicos Ecclesiae. 2. Etiam vocatur potestas iurisdictionis simpliciter sicut in societate civili. Terminus in historia. 3. Habiles sunt qui ordine sacro sunt insigniti: principium canonicum assertive. 4. Ad normam praescriptorum iuris, seu iuxta determinationem iuris positivi. Nec principium exclusivum. Prout affirmativum statuit normam, quae admittit exceptionem, quia: 5. Laici cooperari possunt in exercitio eiusdem potestatis, vocati ad exercitium potestatis, 6. Ad normam iuris. II. Oppositio in Plenaria 1981 huic lectioni: rationibus fundamentaliter ex asserta origine sacramentali potestatis. Non ita intellexit supremus legislator Concilium. Nec affirmari potest Concilium docuisse originem sacramentalem potestatis: Plenaria non mutavit canones vituperatos; Commissio pro revisione Codicis non concordabat cum 4 Patribus. Mutavisset Concilium doctrinam pacificam per millennium, contentam in CIC 1917, atque in explicito magisterio Pontificum recentiorum, textu satis obscuro qui de alia quidem agit re? Concludendo, argumenta 4 Patrum a priori asseruntur nec probantur.

- 1. § 1. Potestatis regiminis, quae quidem ex divina institutione est in Ecclesia et etiam potestas iurisdictionis vocatur, ad normam praescriptorum iuris, habiles sunt qui ordine sacro sunt insigniti.**
- § 2. In exercitio eiusdem potestatis, christifideles laici ad normam iuris cooperari possunt.**

I. Consideratio textus.

- 2. Paragraphus 1^a continet plures affirmationes:**

- 1) In Ecclesia habetur potestas regiminis, ex divina institutione;

2) Haec potestas regiminis etiam potestas iurisdictionis vocatur;

3) Subiecta activa huius potestatis, seu habiles sunt qui ordine sacro sunt insigniti;

4) Et quidem ad normam praescriptorum iuris.

3. Paragraphus vero 2^a asserit:

5) Christifideles laici cooperari possunt in exercitio eiusdem potestatis;

6) ad normam iuris.

Has singulas affirmationes breviter considerabimus:

4. 1) In Ecclesia habetur potestas regiminis.

Ut patet agitur de principio theologico-iuridico. Hoc principium praesupponit imprimis ipsam existentiam Ecclesiae, non quidem ut est phaenomenon mere socio-historicum, sed ut societas a Christo Domino instituta. Societas quidem etiam visibilis, instructa propriis organis et instrumentis ut se ipsam regat.

5. Hocce principium, ut dictum, probandum est a theologica dogmatica de Ecclesia Christi. Constitutio dogmatica *Lumen Gentium* Concilii Vaticani II, de fundatione Ecclesiae egit (LG 5), quam Ecclesiam descripsit variis imaginibus biblicis quae visibilitatem atque indolem sociale Ecclesiae implicant (LG 6-7), unde concludit:

«Unicus Mediator Christus Ecclesiam suam sanctam, fidei, spei et caritatis communitatem his in terris ut compaginem visibilem constituit ...»¹.

¹ Fundationem Ecclesiae proposuit Concilium sub conceptu Regni Dei, Ecclesiae quae missionem a Christo huius Regni

6. Ecclesia igitur a Christo Domino accepit potestatem «*se ipsam regendi*». Haec igitur potestas:

1) est quidem imprimis *potestas*, scilicet quae verum vinculum conscientiae imponit ex imperio, seu auctoritative, quin agatur de sola morali quadam superioritate, quae a membris societatis Ecclesialis agnoscatur, ita ut fideles velint se conformare placitis auctoritatis.

2) potestas *socialis* seu ad regendam societatem, quae est etiam visibilis, ecclesialem. Est potestas apta ad hanc «*sui generis*» societatem regendam, huius Ecclesiae, prout a Christo institutae, propria.

Quia socialis est, nequit statim concludi huiusmodi potestatem exclusive respicere «*externum Ecclesiae regimen*». Si Ecclesia societas est «*sui generis*», et eius potestas «*sui generis*» dicenda erit, eiusque extensio non patebit nisi ex fontibus revelationis quae voluntatem Christi fundatoris manifestabunt².

3) Ut fideles suos ordinet *iuxta fines específicos* Ecclesiae, ac per eos ultimatim ad «salutem animarum», per media apta sive ex institutione divina sive ex institutione ecclesiastica³.

instaurandi accepit (LG 5). Imagines vero proposuit «*ovilis*», «*agriculturae seu agri*» Dei, «*vineae*», «*aedificationis Dei*», «*familiae et domus Dei*», «*templi*», «*Ierusalem caelestis*», «*sponsae*» (LG 6), et tandem «*Corporis Christi mystici*» (LG 7).

² Scripsit VAN HOVE: «*Proinde societas eiusque auctoritas ordinantur ad externum Ecclesiae regimen ut in ea omnia convenienter et recte fiant*» (*De legibus*, H. Dessain, Mechliniae - Romae 1930, n. 181). Accuratius vero MICHIELS: «*Ad potestatem iurisdictionis vi ipsius institutionis divinae Ecclesiae ut potestatem vere sociale concessam non solummodo pertinet promovere ordinem sociale externum-publicum, sed et bonum spirituale privatum singulorum fidelium*» (*De potestate ordinaria et delegata*, Desclée et Socii, Parisiis, etc. 1964, p. 47, n. 1).

³ Hoc principium theologico-canonicum iam continebatur in

7. 2) Haec potestas regiminis etiam potestas iurisdictionis vocatur.

2.1) Enuntiat canon principium iuridico-terminologicum. Quando in iure canonico quaestio est de *iurisdictione*, nihil aliud intelligitur nisi haec potestas *regendi* quam Christus in sua voluit Ecclesia.

Patres quattuor, ad Plenariam anni 1981, hunc principium habuerunt superfluum: cur duo termini pro eadem realitate? Verumtamen, Secretaria iudicavit, e contra, principium necessarium «*quia antea semper quaestio fuit de potestate iurisdictionis; servato hoc verbo omnes scire possunt de quam potestate agatur*»⁴.

8. De facto in Codice 1983 terminus privilegiatus est *potestas regiminis*. *Iurisdictio* raro invenitur et quidem in sensu restricto ad potestatem iudicalem (cf. cann. 1417 § 2; 1469 § 1; 1512, 3°).

Principium, etsi minus explicitum, iam in can. 196/CIC 1917, prout vidimus, continebatur.

9. 2.2) Ex hoc principio terminologico id sequitur, quod maximi momenti est, scilicet quando de potestate iurisdictionis est sermo, omni cum cura vitandum est ut potestas *regiminis*, seu se regendi, quam Christus voluit in sua Ecclesia, ita intelligatur et ei omnia illa tribuantur, quae de potestate iurisdictionis *civilis*, seu iuxta placita principiorum philosophicorum, vel

can. 196/CIC 1917: «*Potestas iurisdictionis seu regiminis quae ex divina institutione est in Ecclesia...*». Cf. nunc can. 204 § 2: «*Haec ecclesia [Christi, Dei populus] in hoc mundo ut societas constituta et ordinata, subsistit in Ecclesia catholica, a successore Petri et Episcopis in eius communione gubernata*».

⁴ *Communicationes* 14 (1982) 146.

illius quae dicitur theoria generalis iuris, asseruntur. «... *non solummodo attendenda sunt iuris publici ecclesiastici principia*», ut dicit MICHIELS⁵.

10. 2.3) Id vere est necessarium siquidem, ut patet, *terminus* iurisdictio in iure canonico non originalis est, sed mutuatus a iure romano, et habetur in omnibus iuribus civilibus.

Iam vero, in iure romano duplex sensus inveniebatur, unus magis primigenius, quo iurisdictio intelligebatur de potestate ad lites componendas, alius qui paulatim introducit, imponendi normas ex imperio, non modo in campo administrationis iustitiae, verum etiam ad communitatem regendam. Imperator unicus tandem consideratus est fons iuris «cum omni iurisdictione», ita ut iurisdictio iam conciperetur ut potestas publica regendi communitatem⁶.

11. Ius canonicum, usque ad Decretum (ca. 1140), *iurisdictionem* sumpsit in utroque sensu. In ipso De-

⁵ O.c. [cf. nt. 2] p. 39. Recte monet: «*Sedulo demum adnotandum est quod in determinatione conceptus et ambitus iurisdictionis ecclesiasticae non tantum recurrendum est ad philosophiae iuris principia et postulata relate ad societatem juridice perfectam in genere, solo jure naturali attento, valentia, sed praeprimis attendenda sunt principia theologica, quibus ex institutione divina ordinatur specifica societatis ecclesiasticae natura; Ecclesia enim est societas juridice perfecta sui generis, ex positiva divini Fundatoris voluntate et ad specificum finem supernaturalem instituta et hanc ob rationem itidem ex positiva voluntate divini Fundatoris, potestate specifica, proprio fini et propriae naturae adaequate proportionata, donata; ...*» (Ib., p. 29,4).

⁶ Cf. M. VAN DE KERCHOVE, *De notione iurisdictionis in Iure romano, Ius Pontificium* 16 (1936) 49-65. V. A. JESU MARIA (Tirado), *De iurisdictionis acceptione in Iure ecclesiastico*, Romae 1940. G. MICHIELS, o.c. (nt. 2). S.M. RAGAZZINI, *La potestà nella Chiesa*, Desclée, Roma 1963, 167-172.

creto terminus raro⁷, simul cum aliis ut *auctoritas*, *potestas*, *gubernatio*. Decretistae dum retinent sensum genericum, sub influxu renovationis iuris romani restringunt ad administrationem iustitiae. Decretalistae vero utrumque colunt sensum: iurisdictionem sensu generico incipiunt applicare et foro interno ac firmant distinctionem iam factam potestatum iurisdictionis et ordinis. Concilium Florentinum (a. 1439) explicitavit Romanum Pontificem primatum Ecclesiae, cuius est caput, tenere «*et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse*»⁸.

12. Post Tridentinum auctores facile reiciunt conceptum romanum restrictum, nimis civilisticum. *Iurisdic-tio* est potestas qua «*possit christianus populus in ordine ad salutem animae gubernari*» (SUAREZ, a. 1617, *Defen. fid.* 3.6.17). PIUS VI confirmavit auctoritatem Ecclesiae et ad res exteriores seu in campo disciplinae⁹. Vaticanum I definivit primatum, «*summi pastoris et rectoris iurisdictionem*», scilicet «*pascendi, regendi, ac gubernandi universalem ecclesiam... plenam potestatem*», cui omnes subsunt «*etiam in iis quae*

⁷ Bis tantum invenitur: c. 6, C. XIII, q. 2 (sensu administrationis iustitiae), et c. 52, C. XVI, q. 1 (potestas concedendi exemptionem).

⁸ Decretum pro graecis (cf. D. 1307). Potestatem quae *iurisdictioni* sensu generico correspondet asserit, non tamen adhibito termino *iurisdictionem*.

⁹ Const. «*Auctorem fidei*» (a. 1794); cf. D. 2604. Propositionem contrariam damnavit ut hereticam, quatenus negabat ecclesiae auctoritatem posse exigere subiectionem suis decretis, iubere per leges, et iudicare (cf. D. 2605).

ad disciplinam et regimen ecclesiae... pertinent», quaeque includit potestatem iudicandi¹⁰.

13. Ex illis bene dicitur in can. 129 § 1 *potestatem regendi in Ecclesia etiam iurisdictionem* vocari, dum quae dicta est Schola Iuris publici efferebat «*nimis aequo... sola iuris naturalis principia, nimis assimilando conceptus iurisdictionis ecclesiasticae (non sensu restricto romano) et civilis, insistendo in conceptum societatis perfectae*»¹¹.

14. Const. «*Lumen Gentium*» asseruit Christum *regere* suam Ecclesiam «*per Summum Pontificem atque Episcopos*» (14,2). Christus enim contulit Petro et Apostolis (suisque successoribus) munus *pascendi et regendi* (8,2). Episcopus dicit *pastores* (18,2...), *qui pascunt* gregem in persona Christi (21,2), loco Dei *praesidentes* gregi (20,3), per quos Christus *dirigit et ordinat* Populum (21,1), Ecclesiamque societatem *gubernant* (8,2...). Romanus Pontifex et Episcopi *pascunt et regunt* Ecclesiam *potestate sacra* (10,2), quae plena, universalis, propria, immediata est in Romano Pontifice (22,2), dum Ordo Episcoporum simul cum capite est etiam subiectum supremae ac plenae potestatis (Ib.). Singuli Episcopi Ecclesias quibus praeficiuntur *regunt* (23,1) *cum potestate sacra, propria, ordinaria et immediata, cum iure et officio leges ferendi, iudicium faciendi, moderandi omnia* quae ad cultum et apostolatum pertinent (27,1). Ipsi *gubernant, subditos* habent (27,3). Haec Episcoporum potestas *iurisdictio* appellatur (45,2; cf. 23,1)¹².

¹⁰ Cf. D. 3053; 3059; 3060; 3063. Cf. et canonem: D. 3064.

¹¹ MICHIELS, o.c. (nt. 2), p. 25 B.

¹² Cf. etiam SC 130; OE 4; 7, 2; ChD 5,3.

15. 3) **Habiles sunt qui ordine sacro sunt insigniti.**

Praemissis igitur principiis theologico-iuridico et terminologico, canon statuit principium canonicum (utique cum necessaria relatione ad principia theologica), de subiecto activo dictae potestatis regiminis seu iurisdictionis.

Principium proponit canon *assertive* seu affirmative, et hoc sensu, principium nullam creat difficultatem. Christus Dominus, etenim, potestatem sacram commissit Petro et Apostolis, eorumque successoribus. Satis rationabile videtur eos, qui ordine sacro sunt insigniti, a Summo Pontifice atque Episcopis vocari ad participationem in potestate sacra.

Sic can. 1008 asserit quosdam fideles signari caractere indelebili per sacramentum ordinis, qui quidem «*deputantur ut, pro suo quisque gradu, in persona Christi Capitis munera docendi, sanctificandi et regendi adimplentes, Dei populum pascant*».

16. 4. **Ad normam praescriptorum iuris.**

Haec verba qualificant principium canonicum, prout affirmativum. Habilitas igitur eorum qui ordine sacro sunt insigniti non videtur affirmari absoluta. Qualificatio, quatenus se refert ad habilitatem ipsam, id exigere videtur, scilicet, ut habilitas non habeatur sic et simpliciter ex eo quod quis ordine sacro est insignitus, sed, supposita ordinatione, iuxta iuris praescripta. Aliis verbis, ii qui ordine sacro sunt insigniti habiles sunt ad potestatem regiminis ideo et quatenus id determinatur a iure. A iure quidem *positivo*, siquidem iam non est quaestio in textu canonis de *institutione divina*¹³.

¹³ Neminem latet, adhuc esse sive theologos sive canonistas, qui teneant (immo, generatim, tanquam doctrinam certam atque

17. Redeamus adhuc ad principium eos, qui ordine sacro sunt insigniti, habiles esse ad potestatem regiminis. Ut dixi principium proponitur ut affirmativum, sed eo ipso proponi etiam videtur ut *exclusivum*, scilicet *tantummodo* clericos esse habiles. Notum est enim exioma «*inclusio unius est exclusio alterius*». Quid revera sibi vellet *affirmatio* clericos esse habiles, si etiam non clericos, seu laicos, non minus habiles essent?

Ad Plenariam 81, de facto, unus saltem Pater affirmationem «*habiles sunt, qui ordine sacro sunt insigniti*», sensu exclusivo intellexit, cum affirmaret: «*non placet statutio quod laici non sunt habiles...*»¹⁴.

Praeterea, exclusivitas affirmabatur in can. 118/CIC 1971 secundum quam «*soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis obtinere*»¹⁵.

18. Affirmatio quae, prout sonat, etiam tanquam exclusiva accipienda videretur, nisi fallor sequenti modo explicanda est, ne quaedam vera contradictio in ipso canone admittatur: Ex divina institutione Christus Dominus commissit potestatem sacram, quae in-

a LG 21, 2 sancitam), *potestatem* regiminis ipsa ordinatione sacramentaliter concedi, ideoque praecedentem, quam proposui explicationem, admissibilem non esse. Iuxta ipsos «ad normam praescriptorum iuris» id solum significare potest, si de iure positivo agatur, ius positivum determinare debere amplitudinem habilitatis, seu ipsius habilitatis exercitium concretum.

¹⁴ *Communicationes* 14 (1982) 146.

¹⁵ Probe tamen notandum est *exclusivitatem* assertam a can. 118/CIC 1917 non nisi materialiter dici posse eandem exclusivitatem de qua quaerimus, etenim sub CIC 1917 *clerici* constituebantur a prima tonsura, nulla adhuc recepta ordinatione sacramentali. Ipse can. 118/CIC 1917 clericis pariter reservabat «pensiones ecclesiasticas», quod ut patet non nisi ex iure ecclesiastico haberi poterat, non ex ordinatione sacramentali.

cludit potestatem regiminis, Episcopis sub Romano Pontifice, scilicet ordinatis in gradu pleno sacerdotii. Iure autem ecclesiastico, seu «ad normam praescriptorum iuris», prout supra dicebam, rationabiliter clerici, qui participant in eodem Christi sacerdotio, vocantur et ad participationem illius potestatis, ita ut ipsi in iure habeantur qui *per se* subiecta sint potestatis regiminis.

19. De facto can. 71 § 4 LEF sic sonabat:

«Potestate regiminis in Ecclesia gaudent qui gubernationis ministerio divinitus in eadem instructi sunt, atque in eadem exercenda partem habent ii qui eam ad normam iuris legitime obtinuerunt»¹⁶.

20. 5) Christifideles laici cooperari possunt in exercitio eiusdem potestatis.

Iuxta explicationem quam nuper dedi affirmationis habilitatis clericorum quae, primo aspectu videtur exclusiva, etiam laici *vocari* possunt ad cooperandum *in exercitio eiusdem potestatis*. In rigore id intelligi posset de cooperatione laicorum «in exercitio ipsorum clericorum»¹⁷.

¹⁶ *Schema novum* (a. 1978?), cf. *Il Regno-documenti*, n. 21 [1978] 491. Verba «ad normam iuris» desunt in textu ab autore creato (cf. p. 469) in D. CENALMOR PALANCA, *La ley Fundamental de la Iglesia*. Historia y análisis de un proyecto legislativo, EUNSA, Pamplona (imprimatur anni 1991), p. 496.

¹⁷ In observationibus Conferentiae Episcoporum Germaniae ad Schema 1977, can. 96: «... *in exercitio eiusdem potestatis, quatenus quidem eodem ordine sacro non innititur, ii qui ordine sacro non sunt insigniti eam tantum partem habere possunt quam singulis pro causis auctoritas Ecclesiae suprema ipsis concedit*», petiit ut loco «partem habere» diceretur *tantum* «cooperari». Commissio tunc nihil mutavit quia can. 126 Schematis 1980 idem

21. Verumtamen, magis *naturalis sensus cooperationis* in hoc casu significat laicos *participare* in potestate eandem exercendo. Id imprimis ex ipso tenore quatenus agitur de cooperatione «*in exercitio*» eiusdem potestatis. Etiamsi ageretur de exercitio ex parte clerici, tenor exigere videtur ut et laici cooperentur in eodem exercitio.

Deinde, ex eo quod Commissio noluisset prius mutare illud «*partem habere*», quod ab oppositoribus «habilitatis» laicorum bene intelligebatur significare aliquod exercitium ipsius potestatis¹⁸.

Cohaerebat praeterea haec affirmatio can. 129 § 2 cum can. 1373 § 1 (Schematis 1980; nunc can. 1421 § 2) de possibilitate constituendi iudicem laicum.

22. 6) Ad normam iuris.

Maioris significationis est quod in hac § 2 iterum repetitur expressio «*ad normam iuris*» quae iam habetur, ut vidimus, in § 1. Laici igitur vocari possunt ad «cooperationem» in exercitio eiusdem potestatis, «*ad normam iuris*». Sicut igitur ius positivum canonicum

est ac in Schemate 1977. «*Cooperari*», utique non necessario significat participationem in ipsa potestate, ita utabilitas sit necessaria. Cooperari possent laici *oratione, consiliis, exsequendo* ea quae clerici sua potestate deciderent, etc. In CIC plures canones utuntur termino *cooperari* qui nullum exercitium potestatis implicat, ut vg. can. 334 de cooperatione episcoporum in *Synodo* cum Romano Pontifice; can. 796 § 2 de cooperatione parentum cum magistris suorum filiorum; can. 545 § 1 de cooperatione *consilio et studio* vicarii paroecialis cum suo parrocho...

¹⁸ «*Non intelligitur laicos partem habere posse in exercitio alicuius potestatis quam non possident...*» (4 PP ad Plenariam 1981). Ideo etiam postulabant suppressionem can. 1373 § 2 (*Communicationes* 14 [1982] 148, e).

determinat clericos, *de regula* habiles esse ad exercitium potestatis regiminis (§ 1), sic etiam ius positivum determinare potest, quandonam, laici qui *de regula* habiles non sunt ad exercendam potestatem regiminis, *exceptionaliter* «vocari poterunt» ad cooperandum in «exercitio eiusdem potestatis».

23. Canon igitur cum de subiecto potestatis regiminis agit, statuit *principium* seu *regulam* iuris positivi ecclesiastici:abilitas potestatis regiminis competit clericis (§ 1). Et quatenus agitur de principio iuris positivi, affirmatio sensum habet etiam exclusivum. Deinde statuit *exceptionem* principii seu regulae, scilicet pro certis casibus ab auctoritate determinandis, etiam laici vocari possunt ad cooperandum «in exercitio eiusdem potestatis» (§ 2). In hac igitur § 2 non habetur contradictio affirmationis, etiam sensu exclusivo § 1, sed statuitur exceptio. Laici *de se*, de regula, non sunt habiles qui habeant potestatem regiminis, exceptionaliter vero, vocante auctoritate «ad normam iuris» possunt potestatem exercere.

24. Character exceptionale respectu principii § 1 etiam habetur ex ipso tenore qui loquitur non de «participatione» potestatis, sed de *cooperatione*, quamquam haec cooperatio importet *aliquam participationem potestatis*¹⁹.

¹⁹ Sic etiam intelligitur commissionem tandem aliquando acquievisse petitioni Conferentiae Episcoporum Germaniae (de qua in nota praecedente), admittendo «cooperari» possunt, loco «partem habere».

II. Oppositio in Plenaria 1981 huic meae lectioni

25. Acris fuit ex parte 4 Patrum oppositio, quorum rationes sic complecti possunt²⁰:

1^a) Est ratio fundamentalis quae uno vel alio modo implicatur etiam in sequentibus: iuxta ipsos affirmatio participationis laicorum in exercitio potestatis regiminis pugnat cum doctrina Vaticani II LG 21,2; 28,1 et Nota Explicativa Praevia 2,2 de origine sacramentali *potestatis sacrae* (*Communicationes* 14 [1982] 147b).

2^a) Est periculosum in iure quod laicis concedatur potestas decisionis quibus competit tantum opinio. Laici habere possent potestatem legislativam in Conciliis particularibus, id quod «*duceret ad erroneam divisionem potestatis publicae in Ecclesia et esset contrarium constitutioni Ecclesiae*» (p. 147b).

3^a) Affirmatio habilitatis laicorum contradicit historicae evolutioni doctrinae circa distinctionem potestatum «ordinis-iurisdictionis» et «concessionis huius missionis», non ordinatione, a tempore ordinationum absolutarum (p. 147c).

4^a) Est tandem *contra unitatem potestatis sacrae*. «*Idea participationis laicorum in "potestate sacra" est aliena a Concilio*». Ideo et m.p. «Causas matrimo-

²⁰ Cf. *Communicationes* 14 (1982) 146-149. Hodie cognoscuntur nomina, scilicet J. Card. Ratzinger (München), J. Card. Freeman (Sydney), Th. Card. O'Fiaich (Armagh), G.B. Card. Hume (Westminster), quorum scriptae animadversiones publici iuris factae sunt in PONTIFICIUM CONSILIUM DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS, *Congregatio Plenaria*. Diebus 20-29 octobris 1981 habita, Typis Polyglotis Vaticanis 1991, 38-48. In *Relatione* (*Communicationes* l.c.) simul proponuntur eorum animadversiones, lingua latina, in sumptum redactae.

niales» quatenus agnoscit iudicem laicum non congruit cum doctrina conciliari (p. 148d).

5^a) «*Non intelligitur laicos partem habere posse in exercitio alicuius potestatis, quam non possident. Ad personam quae non est habilis non potest transmitti potestas aliquo actu iuridico, ne quidem actu iuridico auctoritatis supremae... Can. 1373 [de iudice laico] supprimatur*» (p. 148e).

26. Ut patet, omnes rationes²¹ procedunt ex interpretatione doctrinae conciliaris, iuxta quam Vaticanum II docuit «potestatem sacram», complectentem potestatem regiminis, conferri sacramento ordinis.

Iam vero: 1) Estne haec recta doctrinae conciliaris expositio? 2) Si affirmative respondendum sit, ex lectione can. 129 sequitur unum e duobus: aut supremus legislator non ita intellexit Concilii doctrinam aut illam mutavit.

27. Incipiamus a 2^a quaestione quae supponit, hypothetice, veram esse interpretationem doctrinae conciliaris a quattuor Patribus expositam, quidquid dicendum sit de valore intrinseco et theoretico illius doctrinae.

Unum evidens dicendum: supremus scilicet legislator, eam non accepit, sed Plenariae 1981 adhaerendo, quae sententiam ab his 4 Patribus propugnatam non accepit, Codicem promulgavit servatis cann. 129 atque 1421 § 2.

²¹ Indirecte vel ipsa ratio 3^a de historica interpretatione. Circa positiones doctrinales, in genere, de origine potestatis, utiliter consulens A. CELEGHIN, *Sacra potestas: quaestio postconciliaris*, *Periodica* 74 (1985) 109-164. Latius in auctoris dissertatione ad Lauream in Facultate Iuris Canonici P.U.G., *Origine e natura della potestà sacra. Posizioni postconciliari*, Brescia 1987.

28. Porro, ut certum pariter tenendum est, Summum Pontificem IOANNEM PAULUM II, nullo modo voluisse doctrinam conciliarem mutare. Bene cognoscitur mens Pontificis adhaerendi Concilio, ipsaque publice ab ipso sollemniter et frequentius proclamata est²².

29. Quod quidem confirmatur ex eo quod interpretatio ab illis quattuor Patribus pro Plenaria 1981 expressa, minime habebatur communis. Secretaria adnotabat:

Primo, pro eadem Plenaria, omnes organos consultationis, praeter Conferentiam episcoporum Germaniae et Institutum Canonicum Monacense, necnon Conferentiam episcoporum Helvetiae quae quaestionem nondum solutam putabat,²³ approbasse cann. 126 et 1373 (actuales 129 et 1421).

Secundo Secretariam et Consultorum coetum (duobus consultoribus tantum exceptis) censuisse:

«tuto affirmari nequit Concilium Vaticanum II abrogavisse distinctionem traditionalem inter potestatem ordinis et

²² Sufficiat recolere «*Sacrae disciplinae leges*» (cf. in specie AAS 75-II [1983] xi: «*Instrumentum...*»; xii: «*Quin immo...*»; xii: «*Si igitur...*»; xiii: «*Quibus omnibus...*»).

Post Codicem promulgatum, pluries et etiam in occasionibus satis sollemnibus, idem Summus Pontifex Codicem appellavit «*ultimum documentum conciliare*». Cf. Allocutiones ad quosdam Episcopos, 21-11-1983, *L'Osservatore Romano*, 23-11, pp. 1-2; ad iudices ecclesiasticos, 9-12-1983, *L'Osservatore Romano*, 9, 10-12, p. 7; ad Rotam, 26-I-1984, AAS 76 [1984] 630. Adhortationem apostolicam «*Redemptionis donum*», 25-3-1984, AAS 76 [1984] 514. Allocutiones ad Secretariatum pro Unitate christianorum, 16-11-1984, AAS 77 [1985] 473; ad Cardinales, 21-11-1985, AAS 78 [1986] 414.

²³ Cf. *Congregatio Plenaria* (o.c. supra nt. 20), p. 37: *Folium ex Officio* a Commissione pro Revisione Codicis. Notetur conexio linguistica horum organorum.

potestatem iurisdictionis per tot saeculorum decursum pacifice ab omnibus admissam, et proinde quod affirmari quoque nequit Concilium originem sacramentalem "omnis" potestatis regiminis docuisse»²⁴.

Tertio iam anno 1976, Congregatio pro Doctrina Fidei «attento statu actualis investigationis doctrinalis», non ausa est responsum praecisum et exactum dare ad quaestionem a Commissione pro revisione Codicis: «utrum laici... assumi possint... ad aliqua munera regiminis seu iurisdictionis, participationem nempe secumferentia in potestatibus legislativa, exesecutiva vel iudiciali; et, si affirmative...»²⁵.

30. Quin immo, iam nunc et responsio ad primam propositam quaestionem (supra n. 26) dari potest, scilicet ad quaestionem utrum doctrina quattuor Patrum sit recta doctrinae conciliaris expositio. Et quidem responsio est non iam ulterius affirmari posse eam rectam habendam. Aliis verbis, *stando lectioni can. 129 Codicis* (cum can. 1421 § 2) — immo et aliorum canonum de quibus non est hic agendum²⁶, —

²⁴ Cf. *Congregatio Plenaria* (cf. supra nt. 20), *Folium ex officio*, p. 36.

²⁵ Cf. *Congregatio Plenaria* (supra nt. 20), *Folium ex officio*, p. 37.

²⁶ Sunt et alii canones, praeter can. 1421 § 2 qui exercitium potestatis regiminis exesecutivae, ex parte laicorum, important, ut v. gr. cann. 492-494 de Consilio a rebus oeconomicis, quod componitur «christifidelibus» saltem tribus (fortasse omnes laici sunt). Notetur, inter alia, quod pro nominatione oeconomi Consilium *audiri debet* (ad valorem iuxta can. 127) ab episcopo diocesano.

Recolendus hic praesertim est can. 274 § 1 qui a 4 Patribus etiam memorabatur tanquam corrigendus, quique, meo iudicio,

affirmari non potest Concilium docuisse originem sacramentalem potestatis regiminis ecclesiastici²⁷.

31. *Imprimis* quia, ut liquet ex expositione oppositionis illorum quattuor Patrum, ipsorum reiectio can. 129 § 2 atque can. 1421 § 2 tota nitebatur in asserta ab ipsis origine sacramentali, et quidem ex sacramento ordinis, potestatis regiminis. Sed hos canones et Plenaria retinuit et Summus Pontifex promulgavit, qui ergo non intellexerunt Concilium reicere quamlibet concessionem potestatis regiminis non *ordinatis*, seu laicis.

32. Ipsa Commissio pro revisione Codicis contraria

legi debet simili modo ac can. 129 § 1, scilicet quod statuatur *principium iuris positivi*: «*Soli clerici obtinere possunt officia ad quorum exercitium requiritur potestas ordinis* aut potestas regiminis ecclesiastici», principium sane quod non excludit *exceptionem* pro casibus particularibus, prout enuntiatur in can. 228 § 1: «*Laici qui idonei reperiuntur, sunt habiles ut a sacris Pastoribus ad illa officia ecclesiastica et munera assumantur, quibus ipsi secundum iuris praescripta fungi valent*». Evidenter fungi non valent officia vel munera quae requirunt potestatem *ordinis*. Possunt vero exceptionaliter, «*secundum iuris praescripta*», assumi a Sacris Pastoribus ad quaedam officia in quibus exercebunt potestatem iurisdictionis. Bene notetur in § 2 huius canonis clare distingui munera vel officia in quibus nullam potestatem regiminis exercebunt, sed tantummodo sententiam vel consilium proferre poterunt.

²⁷ Notasse etiam iuvat assertores originis sacramentalis potestatis regiminis, originis scilicet ex *ordinatione* sacramentali, nulla difficultate (sed ut videtur non magna quidem logica), non considerare incertitudinem indolis sacramentalis ordinationis diaconalis, quin immo, affirmationem de effectu sacramenti ordinis, respectu concessionis potestatum («munerum») transferre seu applicare etiam ad sacramentum baptismi et confirmationis, quin tamen admittant laicos «partem habere posse» in exercitio potestatis regiminis.

erat affirmationi quattuor Patrum, prout perspicuis verbis pandebat Secretaria Commissionis in adnotationibus pro Plenaria ad animadversionem quattuor Patrum ad canones 129 et 1421 § 2:

«Animadversio supponit principium quod nullo modo demonstratum est scilicet, quod Concilium Vaticanum II omnino docuit originem sacramentalem totius potestatis regiminis ac proinde exclusio absoluta [sic] laicorum a participatione in munere regendi»²⁸.

Commissio, e contra, putabat, Concilium fundare assertionem participationis laicorum in potestate regiminis²⁹.

33. Magna cum perspicuitate et honestate attentionem Patrum in Plenaria participantium dirigebat ad nucleum quaestionis, dubium proponendo de possibilitate vel minus conferendi laicis participationem in exercitio potestatis:

«Utrum cann. 126 [nunc 129], 244 [nunc 228] et 1373 § 2 [nunc 1421 § 2], quatenus admittunt quod Suprema Ecclesiae Auctoritas laicis concedere possit quandam participationem in exercitio potestatis regiminis ordine sacro non innixae retineri debeant, aut potius immutandi sint eo sensu quod nulla concedatur participatio propter doctrinam quae a quibusdam tradita dicitur a Concilio Vaticano II circa originem sacramentalem omnis potestatis ecclesiasticae regi-

²⁸ «Relatio» ad Plenariam 1981, ad can. 1373 § 2 [actualem 1421 § 2]: *Communicationes* 15 [1984] 54.

²⁹ Scripsit Commissio in «Folium ex officio»: «Consequenter participatio potestatis regiminis ordini sacro non innixae non potest dici contra Concilium, immo ipsa participatio innititur in LG 32; 33; 37; AA 24 et aperte admittitur in MP «Causas Matrimoniales» nn. V-VII» («Congregatio Plenaria», cf. supra nt. 20, p. 36).

minis et inscindibilem unitatem "potestatis sacrae" in Ecclesia?»³⁰.

34. *Deinde*, affirmatio quattuor Patrum de doctrina Concilii docentis originem sacramentalem, *sacramento ordinis*, omnis potestatis *regiminis*, implicat Concilium *mutavisse* doctrinam pacificam per fere millennium, quae a magnis theologis et canonistis docebatur³¹, quae in Codicem Iuris Canonici anni 1917 incorporata erat, can. 109³², quaeque explicitis verbis docebatur a supremo magisterio recenti. Audiatur PIUS XII:

«Hoc posito, efficitur, ut Episcopi nec nominati nec confirmati a S. Apostolica, immo contra expressas eius ordinationes electi et consecrati, nulla fruantur potestate magisterii et iurisdictionis, cum omnis iurisdictio Episcopis per unum romanum Pontificem obtingat, quemadmodum in Litteris Encyclicis Mystici Corporis hisce verbis monuimus [...]. Quam doctrinam, satis postea ad vos Litteris Ad Sinarum gentem, iterum memoravimus [...]. Actus vero, ad potestatem ordinis sacri pertinentes, ab huiusmodi viris ecclesiasticis patrati, etiamsi validi sunt, dummodo valida fuerit consecratio ipsis collata, sunt tamen graviter illiciti, id est flagitiosi et sacrilegi»³³.

³⁰ Cf. Elenchum quaestionum disceptandarum in Plenaria 1981, in «*Congregatio Plenaria*» (supra nt. 20), pp. 28, 35 et in «*Folium ex officio*», *ib.*, p. 37.

³¹ Cf. St. Th. II-II, q. 39, a. ad 3; DURANDUM, In IV Sent., d. 24; BELLARMINUM, *De Rom. Pont.*, IV, c. 24s; SUAREZ, *De leg.* IV., c. 4; BENEDICTUM XIV, *De Synodo dioecessana* I, c. 4, nn. 4-11; BILLOT, *De Eccles.* (a. 1927), th. 26.

³² Can. 109/CIC 1917: «*Qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur...; ...in gradibus potestatis ordinis constituuntur sacra ordinatione; in supremo pontificatu...; in reliquis gradibus iurisdictionis, canonica missione*».

³³ Epist. encycl. «*Ad Apostolorum Principis*», 29-6-1958: AAS 50 (1958) 601-614 [610-611].

In litteris «*Mystici Corporis*», 29-6-1943 scripserat: «*Sacro-*

35. Quam doctrinam et IOANNES XXIII non semel confirmavit:

«Non defuere, proh dolor, non defuere qui, ... insectatorum mandatis concederent, eo usque devenientes, ut sacrilegam episcopalem consecrationem acciperent, ex qua nulla profecto oriri potest iurisdictio, cum sine "Apostolico mandato" peracta fuerit»³⁴.

36. Postremo, id valde prae oculis habendum est, nullo cohaerenti modo affirmari posse Concilium Vaticanum II *intentionem habuisse* mutandi hanc saecularem, pacificam, satis sollemniter a magisterio propositam doctrinam per textum:

1) *objective satis obscurum* respectu quidem huius problematis originis potestatis regiminis; enimvero textus asserit:

«Docet autem Sancta Synodus episcopali consecratione plenitudinem conferri sacramenti Ordinis... Episcopalis au-

rum Antistites... assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine pascunt et regunt; id tamen... quamvis ordinaria potestate fruuntur, immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita» (AAS 35 [1943] 212-213); dum in litteris «Ad Sinarum gentes», 7-10-1954, scripserat: «Jurisdictionis potestas, quae Summo Pontifici iure ipso divino directe confertur, Episcopis ab eodem provenit iure, at nonnisi per Petri Successorem, ...» (AAS 47 [1955] 9).

³⁴ Allocutio in Consistorio, 15-12-1958: AAS 50 (1958) 983. In litteris vero Encyclicis «Aeterna Dei sapientia» (de S. Leone Magno), mutuatis huius pontificis verbis: «... et si quid cum eo [Petro] commune caeteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit» (Sermo 4, 2: PL 54, 150), addit et sequentia Leonis verba «transivit quidem etiam in alios apostolos ius potestatis istius (hoc est ligandi atque solvendi)...» (Ib., col. 151; cf. Serm. 83, 2: PL 54, 430).

Alii textus Magisterii recentis indicantur a GF. GHIRLANDA, *Il diritto nella Chiesa mistero di comunione*, Paoline - PUG, Milano-Roma 1990, n. 266, nt. 2.

tem consecratio, cum munere sanctificandi, munera quoque confert docendi et regendi, quae tamen natura sua nonnisi in hierarchica communione cum Collegii Capite et membris exerceri possunt. [...] perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis gratiam Spiritus Sancti ita conferri et sacrum characterem ita imprimi, ut Episcopi eminenti ac adspectabili modo, ipsius Christi Magistri, Pastoris et Pontificis partes sustineant et in Eius persona agant» (LG 212).

37. Obscuritas praesertim habetur quoad terminum «munus» qui ab asserentibus originem sacramentalem potestatis sumitur ut synonymus «potestatis». Iam vero, ad minimum, id ut certum affirmari nequit, etenim munus triplex, de quo in textu, *participatur* ab omnibus baptizatis, atque adeo «munus» significat potius «missionem» quam potestatem. «Missio» enim, etiam regendi, quae ab omnibus baptizatis participatur, non necessario implicat potestatem regendi, sicut nec «missio» sanctificandi, quae etiam ab omnibus baptizatis participatur, implicat potestatem ordinis³⁵.

38. 2) In textu quidem qui non modo *non* agit de origine potestatis regiminis, sed de alia re, scilicet de sacramentalitate consecrationis episcopalis, quin immo in textu qui *non intendebat* de origine potestatis regiminis agere!³⁶.

³⁵ De diversa significatione inter terminos «munus» et «potestas» in hoc quidem textu LG 21, 2 ample egit Gf. GHIRLANDA, «*Hierarchica Communio*». Significato della formula nella «Lumen Gentium». Coll. Analecta Gregoriana, Facultas Iuris Canonici, n. 216, Roma 1980. Cf. JEAN BEYER, «De natura...» (in «*Congregatio Plenaria*» — supra nt. 20 — nn. 39-59). In *Periodica* 71 (1982) 117-128.

³⁶ Cf. *Acta Synodalia* III, VIII, 96-97. Cf. etiam in «*Congregatio Plenaria*» (supra nt. 20), p. 83, n. 51 (agitur de voto consultoris R. P. JEAN BEYER, S.J., «De natura potestatis regiminis seu iurisdictionis recte in Codice renovato enuntianda»):

Si igitur Concilium in hoc textu revera docuit originem sacramentalem potestatis regiminis, dicendum esset id Concilium fecisse praeter intentionem et modo quasi inconscio!

39. *Concludendo*, breviter dici potest argumenta ab his quattuor Patribus proposita revera nonnisi aprioristicas affirmationes habendas videri:

1) Pro ipsis affirmatio participationis laicorum in exercitio potestatis regiminis pugnat cum doctrina Vaticani II LG 21,2; 28,1 et Nota Explicativa Praevia 2,2 de origine sacramentali *potestatis sacrae* (supra n. 25,1).

Quomodo autem assertionem probabant? Ut patet ex dictis alii aliter interpretabantur hos textus.

40. 2) Quod laicis «concedatur potestas *decisionis* quibus competit tantum opinio» (supra n. 25,2), non tantum periculosum esset in iure, sed simpliciter non admittendum.

Sed certe probandum fuisset laicis competere tantum opinionem. Cur autem esset periculosum laicos habere posse potestatem legislativam in Conciliis particularibus? Nec ex solo periculo aliquid doctrinale est simpliciter negandum. Praesertim vero cur «*duceret ad erroneam divisionem potestatis publicae in*

«*Quibus modis clare apparet Concilium quaestionem de origine potestatis dirimere noluisse...*». N. autem 52: «*Concilium de tribus muneribus loquitur, quae potestates non vocantur; retinet autem distinctionem inter potestatem sacramentalem (seu ordinis) et potestatem non-sacramentalem seu iurisdictionis. Munus fit potestas ad actum expedita, missione quidem canonica recepta et iuridice determinata, qua quis episcopus consecratus in communione hierarchica constituitur...*» (*Ib.*, p. 83). Cf. Etiam *Periodica* 71 (1982) 125.

Ecclesia et esset contrarium constitutioni Ecclesiae? (supra *Ib.*). Iterum non affirmandum sed probandum, quod doctrina saecularis, doctorum magni nominis, inclusa in Codice 1917, magisterii expliciti, sit contra Constitutionem Ecclesiae!

41. 3) De historica evolutione doctrinae circa distinctionem potestatum «ordinis-iurisdictionis» et «concessionis huius missione» (supra n. 25,3) consulatur votum a Commissione Plenariae communicato, P.A.M. STICKLER³⁷.

Non habentur, etiam hodie presbyteri (sine episcopali consecratione) qui regunt ecclesias potestate «quasi-episcopali», atque episcopi titulares qui nulla gaudent iurisdictione? Non historice constat abbatisas quasdam vera iurisdictione «quasi-episcopali» rexisse monasteria et populum, dum episcopos vocabant ad ordines conferendos?

42. 4) Cur vocatio laicorum ad cooperandum in exercitio iurisdictionis esset contra unitatem «potestatis sacrae»?

Unitas «potestatis sacrae» habebitur ex sua origine a Christo, sive transmittatur sacramento sive missione canonica. Nec tantum affirmandum, sed probandum quod «*Idea participationis laicorum in "potestate sacra" est aliena a Concilio*». Ideo et m.p. «*Causas matrimoniales*» quatenus agnoscit iudicem laicum non congruit cum doctrina conciliari (supra n. 25,4).

Satis curiose a patronis originis «potestatis sa-

³⁷ «De potestatis sacrae natura et origine», in «*Congregatio Plenaria*» (supra nt. 20, pp. 49-65). Cf. Etiam *Periodica* 71 (1982) 65-91.

crae» a sacramento propter motivum unitatis potestatis sacrae, facile inducitur deinde in Ecclesia *alia* potestas regiminis, non sacra, sed ex natura sociali Ecclesiae. In Ecclesia autem societate *sui generis* nonnisi «potestas sacra», a Christo pro suo regimine collata admittenda est.

43. 5) «*Non intelligitur laicos partem habere posse in exercitio alicuius potestatis, quam non possident. Ad personam quae non est habilis non potest transmitti potestas aliquo actu iuridico, ne quidem actu iuridico auctoritatis supremae... Can. 1373 [de iudice laico] supprimatur*» (supra n. 25,5).

Affirmationes logice procedunt... supposito principio «laicos non possidere» posse ullam participationem in potestate regiminis; nec ullam habere habilitatem. Sed principium nequit postulari, sed probandum est.

44. Iam in primo schemate 1997, sicut deinde in schemate 1980 pars tribuebatur laicis in exercitio potestatis regiminis seu iurisdictionis «*quatenus... ordine sacro non innititur*». Iuxta quattuor Patres qui originem sacramentalem potestatis, ex sacramento ordinis, propugnabant, potestas regiminis «*semper est ordine sacro innixa*»³⁸. Distinctio igitur potestatis regiminis «*ordine sacro innixa*» et potestas regiminis «*ordine sacro non innixa*», reicienda eis videbatur utpote contra unitatem «potestatis sacrae»³⁹.

³⁸ «Relatio» ad can. 126: *Communicationes* 14 (1982) 147, n. 3.

³⁹ Prima ratio ob quam improbabant concessionem potestatis laicis erat quidem: quia introducebat huiusmodi distinctionem, contra unitatem «potestatis sacrae» (cf. «*Congregatio Plenaria*» — supra nt. 20 — «*Folium ex officio*», p. 36). Scripserat unus ex illis:

45. Plenaria 1981 omisit hanc distinctionem potestatis regiminis ordine sacro innixae vel non innixae, quando asseruit, «*in exercitio eiusdem potestatis [regiminis seu iurisdictionis, sine ulteriore specificatione] christifideles laici ad normam iuris cooperari possunt*», prout habetur in actuali can. 129 § 2.

Quae omissio, nedum significet Plenariam acquievisse sententiae quod omnis potestas regiminis «*ordine sacro innititur*» seu quod omnis potestas regiminis ex ordinatione sacra proveniat, e contra, ea potius significat nullam regiminis potestatis «inniti in ordine sacro» eo sensu quod ab ordinatione proveniat, siquidem possibilis participatio laicorum asseritur in exercitio «eiusdem potestatis», seu unius potestatis regiminis quae est in Ecclesia ex voluntate Fundatoris.

46. Exercitium potestatis regiminis de se seu natura sua numquam implicat subiectum in ordine sacro constitutum, nisi eo sensu quod explicatum est, scilicet Dominum contulisse potestatem regiminis ecclesiastici episcopis sub Romano Pontifice, ita ut de regula ab ipsis et magis immediatis collaboratoribus exerceatur. Quo supposito, de regula dici poterat potestas regiminis inniti ordine sacro. Ni fallor, igitur,

«A “potestas regiminis in ordine sacro non innixa” is a dangerous concept. Where does such a power come from?» (cf. «Congregatio Plenaria» — supra nt. 20 - p. 45). Iuxta alium est conceptus «of very questionable theological accuracy» (*Ib.*). Tertius tenet ordinationem «essential qualification for holding this power» (*Ib.* p. 46). «Relatio» in sumptum reddebat: «*Idea potestatis sacrae ordine non innixa [sic] non existit in documentis Concilii*» («*Relatio*», ad can. 126, sub d: *Communicationes* 14 [1982] 148).

Commissio e contra putabat non esse contra doctrinam Concilii participationem potestatis regiminis ordini sacro non innixae» (*Ib.*).

clausula «*quatenus ordine sacro non innititur*», tandem aliquando idem id significare volebat quod significat nunc repetitio clausulae «*ad normam iuris*», scilicet, de regula potestatem regiminis exercenda est ab eis qui ordine sacro insigniuntur. Id quidem iuxta voluntatem Domini suam potestatem conferentis episcopis sub successore Petri, non vero ideo quia aliqua potestas regiminis ab ipso ordine sacro confertur.

FRANCISCO JAVIER URRUTIA, S.J.